



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 20. Controversia inter Abbatem S. Udalrici & Lutheranos Augustanos  
circa SS. Imagines & Insignia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](#)

imminutæ auctoritatis Itædio, seu col- Sæc. XVIII.  
ligendi animi studio permotus, denuo A. C. 1709.  
Toletum secessit, ibique sanctis operi-  
bus usque ad mortem intentus, Eccle-  
sias Prænestinam, Lauretanam, & Ro-  
manam S. Mariæ Majoris multo ære  
ditavit, raraque liberalitate & munifi-  
centia pauperes, peregrinos, viduas  
atque pupilos ære parato adjuvit  
postremisque septem vitæ suæ annis  
quatuor egentium millia quotannis clan-  
culum sustentavit, tandem vero Ma-  
driti die decima quarta Septembris,  
annos natus septuaginta quatuor deces-  
fit. Ita plerumque primarium Aulæ  
ministerium Ecclesiasticis exitiale est,  
dumque simul sponte Aulici & Eccle-  
siastici esse volunt, utrumque esse de-  
sinunt, utrumque vero cum decore  
conservant, si non nisi ad componendos  
motus ac tempestates civiles *vocati*, in  
Principum Aulas prodeunt.

### §. XX.

*Controversia inter Abbatem S. Udal-  
rici, & Lutheranos Augustanos  
circa SS. Imagines & in-  
signia.*

Inter plurimas Ecclesias, quas Luthe-  
rani Catholicis armata Suecorum Annot. in  
facti speciem potentia eripuerant, Augustæ Vindeli- Vid. supra  
corum t. 59. p. 39.

Sæc. XVIII. corum erat Ecclesia annexa Ecclesiæ  
 A. C. 1709. Imperiali ad S. Udalricum; ad quam,  
 cum jam Anno 1458. a Joanne de  
*Fabri*  
*Staats.*  
*Kanzley t. 15.*  
*p. 690. t. 17.*  
*p. 199. &*  
*241.*  
*Theatr. Eu-*  
*rop. t. 18.*  
*p. 162. 159.*  
*& 629.*

populum concionibus Monasterii ex-  
 pensis erecta fuisset, usque ad Sueci-  
 ca invasionem Abbates Benedictini  
 præfati Monasterii ad SS. Udalricum  
 & Afram jus Dominiumque & post P.  
 W. Com - Possessionem semper conser-  
 varunt, cuius rei signum, testimonium-  
 que erant fundus in cæmeterium tunc  
 conversus, Imperialis hujus Abbatiaæ  
 insignia, & Beatissimæ Virginis præ-  
 fatorumque SS. Imagines utpote Eccle-  
 siæ Patronorum in dictæ Ecclesiæ fron-  
 tispicio depictæ, necnon Annus 1458.  
 erectionis descriptus, & liber ad hanc  
 Ecclesiam ingressus ac transitus pro  
 Concionibus, fontisque benedictione  
 necnon claves ad præfatam Ecclesiam  
 apud Abbates repositæ: Hujus juris  
 vigore Joannes a Giltlingen Abbas apud  
 sanctiorem Senatum Augustanum que-  
 rebatur, dum Lutherani Anno 1609.  
 inscio, inconsultoque Abbe hanc Ec-  
 clesiam restaurare, præfatasque imagi-  
 nes potissima ex parte deturpare, &  
 vix non delere præsumperant, petiit  
 igitur, ut Lutherani ad restituendas  
 hasce imagines auctoritate Magistratus  
 adigerentur: Paruere Lutherani, præ-  
 fatas-

fatasque imagines restaurari curarunt; Sæc. XVIII.  
quapropter die vigesima octava Martii A.C. 1709.  
 anni sequentis in Senatu Secretiori de-  
cretum est, quod in controversa hac  
caussa nil amplius impræsentiarum præ-  
ter ordinarium recursum ad Senatum  
Lutheranis imponi possit: Res in hac  
decisione hæsit, eoquod hæc declara-  
tio Pacis Instrumento, & usitato fabri-  
candi modo magis consentanea esset,  
atque Anno 1629. dicta Ecclesia Catho-  
licis, proin etiam Abbatii unacum clav-  
ibus auctoritate Cæsarea fuerit resti-  
tuta. Attamen his violenter rursus  
erepta, & Anno 1648. Lutheranis ad-  
judicata est, ea tamen lege, ut Catho-  
licis liber ad eam transitus esset, & Lu-  
therani hanc Ecclesiam, uti Anno 1624.  
ita imposterum, proin cum ipsis imagi-  
nibus tunc ibi depictis possiderent: cum  
vero hunc ipsum transitum Anno 1632.  
ferrea vecte Catholicis intercludere  
auderent, quarto post anno a Cæsare  
indicta pecuniarum mulæta hoc impe-  
dimentum tollere jussi sunt. Postea  
contigit, ut Lutherani anno hujus sæ-  
culi septimo hujus Ecclesiæ frontispici-  
cum reparare meditarentur, ac pro-  
pterea de futuræ fabricæ ratione Wili-  
baldum Abbatem die octava Junii cer-  
tiorem redderent. Annuit ille, postu-  
lans tamen, ut scriptotenus, atque  
ido-



Sæc. XVIII. idonee caverent, promitterentque, se  
A. C. 1709 curaturos, ut B. V. SS. Udalrici & Afræ  
Imagines, necnon Abbatiæ insignia,  
& Annus 1458. in frontispicio recens eri-  
gendo, prout Anno 1624. exstitit, de-  
pingerentur. Hac super re trina habe-  
batur consultatio; Abbe autem juri  
suo insistente, & Lutheranis integrum  
Templorum suorum curam sibi solis re-  
servari opponentibus, res in controver-  
siam adducta est. Igitur Abbas die  
tertia & sexta Aprilis apud Magistra-  
tum querebatur, quod Lutherani jam  
die decima tertia Martii non attenta  
oppositione interposita, & spreta nun-  
tiatione novi operis suæ fabricæ initium  
facere decrevissent, quin tamen juxta  
statum anni normalis hoc ædificium  
erigere, & præfatas imagines, insignia  
&c. reddere intenderent, non sine ma-  
ximo Abbatiæ, cunctorumque Parochia-  
norum damno, quos in suis juribus, &  
cultu imaginum sanctorum contra Pa-  
cem religiosam turbare molirentur,  
quocirca hanc fabricam Magistratus  
inhiberet, donec idonee cavissent, quod  
hoc ædificium juxta pacis tenorem in  
pristino statu sine minimo sui, Eccle-  
siæque præjudicio erecturi essent. Op-  
ponebant Lutherani restitutionem in  
puncto Religionis, atque hujus Eccle-  
siæ dominium sibi, non Abbati compe-  
tens:

tens: cum tamen certum esset, quod <sup>væc. XVIII.</sup> Abbas Anno 1459. pro horrologii in <sup>A.C. 1709.</sup> dice, & 1502. pro nominando ædituo, & campanili erigendo consensum dare rogatus fuerit, Insuper Abbas cuncta sexdecim eorum effugia solide confutaturus die decima tertia Aprilis proximum oppido scriptum Magistratui Augustano obtulit: Verum Catholici Magistratus a Lutheranis dissidebant, & quidem hi fabricam inhiberi renuebant, isti vero usque ad caussæ decisionem ab ædificando desisti petebant, ac propterea die decima sexta Maij Abbatii scriptum dederunt testimonium, significantes, quod, cum Lutherani sese a Catholico Magistratu segregantes, spreta novi operis nuntiatione, & neglecta inhibitione facta fabricam via facti inchoarint, imo ipse Gottfridus Amman Lutheranus Urbis Duumvir die sexta præfati Mensis primum lapidem posuerit, Abbas justitiam sibi ab *unico* Magistratu administrari, sperare haud posset, proin jus suum in superiore Tribunali ad pacis Religiosæ & Cæsareorum jurium præscripta prosequi cogeretur. Hac igitur caussa Viennam delata, die nona Julii & duodecima Septembris anni prioris, & hoc anno die octava Augusti Josephus Imperator Lutheranus præcepit, ut interim Abbatii de resti-

Sæc. XVIII. restituendis imaginibus scriptotenus  
A.C. 1709. caverent, completa autem fabrica eas  
reipsa eadem forma, qua Anno 1624.  
erant, denuo depingi curarent. Verum  
Lutherani die decima tertia Augusti  
ad Cæsarem rescribere haud veriti, quod  
Abbas nondum satis in summario auditis  
partibus & nondum cognita ac dijudicata  
causa rescriptum Cæsareum ob - & sub-  
reptitie impetrarit: ad quod tamen a  
Cæsare die vigesima Augusti respon-  
sum, in re adeo notoria, insuperhabi-  
tis Lutheranorum effugiis ad litis pro-  
telationem excogitatis, priori sententiæ  
insistendum esse. Nihilominus Luthe-  
rani Senatores Mense Septembri & die  
decima quarta Decembris Ratisbonen-  
ses Principum Acatholicorum Legatos  
exorarunt, ut hos Principes ad urgen-  
dam Cæsarei rescripti revocationem  
impellere vellent: interpellarunt quo-  
que die vigesima Junii anno sequenti  
*Corpus*, ut vocant *Evangelicorum*, nec-  
non ipsum Cæsarem, transmesso scripto,  
in quo jura deducere, & Abbatis ratio-  
nes elidere nitebantur; sed hoc scrip-  
tum intra bimestre Abatti *communi-  
candum*, nilque contra Instrumentum  
pacis, atque executionis decretum esse  
tentandum die vigesima Decembris re-  
scribebatur: *Enim vero Protestantes*  
*Imperii Status datis ad Imperatorem*  
lite-

XV.  
nus  
eas  
24.  
um  
usti  
uod  
litis  
ata  
ub-  
n a  
on-  
ibi-  
ro-  
tiæ  
he-  
die  
en-  
tos  
en-  
em  
no-  
nti  
ec-  
to,  
io-  
ri-  
ni-  
um  
sse  
re-  
es  
m-  
te-

literis die vigesima tertia Decembris pe- Sæc. XVIII.  
tebant, ne Protestantes Augustani hac A. C. 1709.  
in caussa ulterioribus mandatis ac litis  
continuatione gravarentur: ad libel-  
lum tamen supplicem die trigesima Se-  
ptembris exhibitum Cæsareo - Aulicus  
Senatus respondit, præfatum libellum  
propter annexum scriptum Religiosæ  
paci contrarium, ac prorsus inutile  
remittendum, supplicantem vero re-  
darguendum esse, si tamen gravamina  
a Lutherano Senatu allata reipsa existant  
tum ea esse submovenda, cunctaque  
in pristinum statum reducenda, & si  
quid gravius in contrarium fuissest at-  
tentatum, id intra bimestre esse rese-  
rendum. Cum vero Lutherani præ-  
ceptam Anno 1709. die vigesima De-  
cembris suæ refutationis communica-  
tionem contemptis Cæsareis mandatis,  
rescriptis, & identidem variis artibus  
impedire niterentur, proin respondendi  
ac refellendi copiam Abbati subtraha-  
rent, hancque litem consummata in-  
terim fabrica perennem reddere adla-  
borarent, hinc Wilibaldus Abbas die  
decima quinta Martii Anno 1710. apud  
Cæsarem desuper questus exposuit,  
quod Lutherani hac litis ac sententiæ  
dilatatione freti, contra pacis leges no-  
vam fabricam, portam & ostiola tam  
intra quam supra vicinum SS. Omnium

Sacel-

Sæc. XVII. Sacellum, ad quod tamen nullum ipsis  
A. C. 1709 jus competeret, ad extendendum Re-  
ligionis suæ exercitium aperire, tra-  
besque præcipuo dicti Sacelli muro im-  
mittere, parietem Sacello vicinum e-  
vertere, novum erigere, eumque ex-  
tendere præsumpserint, ac defuncto-  
rum, ex quibus fors S. Martyrum non  
pauci, ibidem per plura sæcula sepul-  
torum ossa non sine ludibrio eruerint,  
ac quod quatuordecim trabes perforato  
ipsius Imperialis Ecclesiæ muro im-  
mittere haud dubitarint. Propterea  
Cæsar is jussu Lutheranis injunctum, ut  
hæc gravamina, si veritati constent,  
tollerent, nihilque innovarent: ipsi vero  
transmisso ad Cæsarem scripto quædam  
inficiabantur, alia quidem fassi, excu-  
fando tamen rejecerunt. Ast Impera-  
tor die octava Augusti Lutheranis præ-  
cepit, ne caussa nondum decisa, tabu-  
latum pegma tollerent, sed tantum  
spatii in erécto muro relinquerent, ut  
SS. Imagines, insignia &c. appungi va-  
lerent: de hujus quoque mandati exe-  
cutione Cæsarem intra bimestre certio-  
rem reddere jubebantur, ne is acer-  
biora decernere cogeretur. Lutherani  
autem ad hoc nonnisi ea, quæ jam sæ-  
pius insinuabant, responderunt: quo-  
niam vero hanc caussam a Senatu Cæ-  
fareo ad Ratisbonensia Imperii comitia  
devolvi

devolvi peterent, hinc Abbas Catho- Sec. XVI.  
licorum Principum Oratores, ut caussæ A. C. 1709.  
æquitati faverent, rogabat, hi quoque  
ad Cæsarem die decima tertia Januarii  
Anno 1711. supplices dederant literas,  
ut iteratis ejusdem jussis Lutherani  
tandem morem gerere, mandatis pœna-  
libus arctioribus compellerentur, cum a-  
perte constaret, quod Westphalicæ pacis In-  
strumentum, & præsertim annus directo-  
rius pro Abbe eis que Monasterio mili-  
tet, econtra autem Lutherani studiose &  
pertinaciter in Abbatis præjudicium teme-  
rarie litigent. Nec vicissim tam Sena-  
tus Lutheranus, quam *Corpus*, ut vo-  
cant, Evangelicorum feriabantur, sed  
Cæsar's patrocinium, & Universitatis  
Hallensis suffragium emendicabant,  
quin unquam Cæsar, vel Aulico-Im-  
perialis Senatus ab iterata sua senten-  
tia recederent, cujus tamen executio-  
nem retardabat inopina mors Josephi I.  
Augustissimi Cæsar's: Anno autem  
1729. die vigesima octava Maij denuo  
*Corpus Evangelicorum* contra Abba-  
tem hanc controversiam datis ad Cæ-  
sarem literis innovare adlaborabat.

### §. XXI.

*Actum de abroganda clausula Arti-  
culi IV. Pacis Rysvicensis.*

*Hist. Ecclesi. Tom. LXVIII. F Rur-*